

pore, non ut Dei gloriam, sed sua commoda quærat. Qui hanc justitiam sectantur similes sunt tarando, feræ apud Gelones seu Tartaros, bovis magnitudine, capite cervino, quæ ad formas omnium locorum et fructuum, quibus adhæret, formas villi densi coloris, quibus hirsutum corpus vestitur, immutat; utique ne a venatoribus facile videatur et capiatur, Plin. l. VIII. c. XXXIV. Caussin. l. VII. symb. c. X. Sic enim politici, ut se servant et pabulum sibi quærant, omnium, quibus adhærent, moribus se accommodant. Qualis vero hæc sit justitia, declarat Isaias, cap. LXIV. cum in persona talium ait: *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatus, universæ justitiæ nostræ.* Vatablus et alii legunt: *Quasi vestimentum centonum universæ justitiæ nostræ.* Quemadmodum enim mendici vestem sibi ex variorum colorum centonibus consuunt, ut eleemosynam conquirant; ita politici, ut favores, opes, honores sibi parent, omnibus sectis, omnibus opinionibus et mundi consuetudinibus sese accommodant. Ut ergo talis vestis principis conspectu indigna est, sic talis justitia Deo exosa. Hujusmodi fuit Saul rex, qui ut regium sceptrum et existimationem sibi conservaret apud populum, ejus nutui se accommodavit contra Dei mandatum, servando optima quæque ex præda Amalec, quæ una cum cæteris vastari Deus præceperat. Unde deprehensus, culpam Samueli fatetur: *Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, et verba tua, timens populum et obediens voci eorum,* II. Reg. XV. Rogat insuper Samuelem ut veniat secum ad sacrificandum Domino; quo suam apud populum retineat existimationem et nomen, pleneque videatur implese præceptum Dei quod accepit. Itaque et penitentia ejus ficta et politica tantum fuit; utpote non dolentis de offenso Deo, sed timentis amissionem famæ et regni sui: ideo a Deo reprobatus fuit, et merito. Persuadere quidem conatus est Samueli, se implevisse verbum Dei: *Benedictus tu Domino: implevi verbum Domini.* Interim a vocibus gregum, qui sequebantur, proditus est, et mendacii redargutus a Samuele: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis?* Ita, licet isti laborent suam palliare justitiam, produntur tamen, et mendacii arguuntur a voce, oculo, incessu petulantii, etc. a pupillis et a viduis, quos oppresserunt, a prædis et rapinis suis. Tales vero erant et Judæi aliqui, omnium fere gentium idola subinde adorantes; unde comparat eos Jeremias meretricibus, quæ se obviis quibusvis viris substernebant, uti, c. II. *In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosterneris meretrici:* et cap. III. *Tu au-*

tem fornicata es cum amatoribus multis; idolis scilicet variis. Quis autem talem meretricem nulli certo adhærentem marito recipiat? Quis non spernat et expellat?

V. Quando coacta. Scimus enim Exod. XXV. præcepisse Deum, ut acciperentur ad fabricationem arcæ et tabernaculi primitiæ ab ultroneis: *Ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas;* et Moyses legem promulgans inquit: *Omnis voluntarius et prono animo offerat eas Domino,* Exod. c. XXXV. Verum Judæi tempore Christi plerique ex timore servili dumtaxat legem observabant, quod nequaquam Deo placuit. Tibine placeret, qui rem tuam tibi reddere jussus, abjiceret in lutum et abiret? Certe hoc modo Judas, a carnifice conscientia coactus restituere, quos sacrilege acceperat, argenteos, projecit in templum et abiit, Matth. XXVII. Similiter et dæmon compulsus a Christo, ut dimitteret hominem, quem obsederat, projecit illum in medium et deseruit, Luc. IV. necnon et puerum illum, Luc. IX. manifeste indicans, quam ægre quamque invitus imperata faceret. Quis autem dicat illam Judæi restitutionem, vel hanc dæmonis obedientiam ulla ratione Deo placuisse, vel laude aliqua dignam fuisse? Sanctus Gregorius, l. III. dial. cap. XVI. scribit, solitarii quemdam, Marcium nomine, in monte Marsico Campaniæ habitasse in specu; « Ubi catena sibi ferrea pedem ligavit, eamque saxo ex parte altera affixit, ne ei ultra liceret progredi, quam catenæ ejusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, ei per discipulum suum mandare curavit: Si servus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem Marcus protinus eundem compedem solvit, sed nunquam postmodum solutum tetendit pedem ultra locum, qui hunc tenere ligatum consueverat, atque in tanto se spatio sine catena coarctavit, in quanto et antea ligatus mansit. » Libere quidem, non coacte sese ad cattenam alligavit iste; ne tamen aliquando facti penitens necessitati alicui subjaceret, et coactus pateretur quod sponte elegerat, suasit Benedictus ut, deposita catena, per omne tempus et in singulis suis actionibus meritum auget. Hac de causa etiam Sanctus Polycarpus, ut omni ex parte voluntarium Deo sacrificium in suo martyrio offerret, cum in rogo comburendum affigere carnifices clavis vellent, renuit et dixit: « Sinite me hoc modo. Nam qui mihi patientiam ad ignis flammam sustinendas pro sua clementia largitur, largietur etiam, ut sine commissuris clavorum, quibus me affigere statuitis, constans, absque ulla corporis commotione, rogo adhærescam. » Idcirco eum non clavis, sed vin-

culis solum ligarunt, in vitæ, apud Sur. 26. jan. Rationem exponit S. Basilius, homil. IX. Quod Deus non, etc. « Et tu, inquit, servos, non quando vinctos in custodia retines, benevolos esse tibi existimas: sed cum sponte omnia, quæ a te oportet, videris agere. Sic item Deo eum puta fore amicum, non qui coactus, sed qui sponte suaque virtute illi obtemperat. Virtus enim ex voluntate perficitur, non ex necessitate. »

Quare, auditores, videmus quanto jure nobis timere debeamus, ne forte in judicio coram Deo reprobi inveniamur, qui justis nobis hic videmur, Audimus enim Dominum dicentem, Psal. LXXIV. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Tunc fiet quod 1. Pet. ait Sanctus Petrus: *Justus via salvabitur,* h. e. multi, qui se justos putant, non salvabuntur, aut difficile. Quando mercatores selunt ipsa pondera, ulnas et mensuras a magistratu examinandas, tempestive sibi provident, easque prius ipsi examinant: sic agendum nobis. Justitiæ nostræ examinandæ sunt. Itaque, ne deprehendantur injustæ: *Sitis integri et perfecti, in nullo deficientes,* ait Sanctus Jacobus, c. 1.

CONCIO V.

IRÆ ALIENÆ INCENDIO QUOMODO OCCURRENDUM.

I. Ignis gliscentis suffocatione. — II. Blanda et molli responsione. — III. Abscessu illius, cui alter irascitur.

THEMA.

Qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. V.

Tremendum profecto, quin et severum nimis videre possit hoc supplicium iracundiæ destinatum, ignis gehennæ videlicet: nequaquam tamen est injustum. Quid enim judicant homines, cum quem audiunt alienis vel propriis etiam ædibus ex mera petulantia vel nequitia iniecisse ignem? Nonne omnes clamitant, medios in ignes injiciendum incendiarium, ut patiat id quod fecit? Atqui ira, qua se quis inflamat, quid nisi ignis erit? Quid ex oculis, ore, naribus, vultu, nisi ignem spirat? Ita enim Nahum, 1. § VI. dicitur: *Indignatio ejus effusa est ut ignis.* Idem variis in locis testatur S. Chrysostomus, uti hom. XXX. ad pop. *Ignis est, inquit, vehemens ira, omnia devorans; nam et corpus perdit, et animam corrumpit:* et hom. III. in Joan. *Vehemens ira affectus est, et omni flamma vehementior:* et hom. XXV. in Joan. *Ira vehemens ignis est, omnia consumit, etc.* Denique, et Arist. 1. de anima, iram dixit esse accensionem sanguinis circa cor. Quod cum ita sit, quid mirum

si iracundus, qui in corde suo ignem hunc accendit, igni adjudicetur? Quid igitur hic remedium, cum tale incendium oritur in aliquo? Itane spectatores tantum illius incendii erimus? Absit a Christianis ista barbaries atque inhumanitas; quinimo modis omnibus collaborandum nobis, ut hic ignis sopiatur quamprimum fieri potest eo enim consopito, sopiemus ignem inferni, qui hominem iracundum alioquin expectat. Videmus certe in civitatibus passim asservari instrumenta et vasa varia restinguendis incendiis, scalas harpagones, æneos cacabos, coriaceas amphoras et similia: adhiberi quoque varias industrias, aquam effundi, materiam igni subtrahi, ædes dirui, etc. Provideamus igitur et nobis de hujusmodi suppellectili, et discamus aliquot industrias, quibus sopiamus in proximis nostris ignem iracundiæ.

I. Ignis ad initium priusquam invalescat incendium, suffocatione facillime extinguitur. Hoc sensu existimat Petrus Ravennas dictum a Domino, Matth. V. *Dico vobis non resistere malo.* Ait enim: *Utique Christianis hoc dicit: Vult nos vitia non compensare vitiis, sed superare virtutibus, in ipsis adhuc scintillis iram extinguere; quæ si pervenerit ad totum furoris incendium, sine sanguine non sedatur, q. d. ira proximi, cum adhuc quasi in favilla est et enascitur, facile extingui, quasi aqua, potest: ubi vero creverit, nonnisi sanguine extinguitur. Idem pulchra similitudine explicat. Plutarch. in tract. de ira cohibenda: « Sicut flammam, inquit, pilis leporis, elychnio aut paleis accensam facile est inhibere; ubi vero solidas ac crassas res corripuit, celeriter absomit: ita qui iram ab initio animadvertit, et is non magno opus habet labore, sed plerumque ipso silentio et contemptu oppressit. » Suffocabimus autem iram proximi, si irascenti nihil obloquamur, adeoque non resistamus: unde S. Ambros. l. 1. de offic. c. XXI. *Noli respondere irato,* inquit, *cito culpa culpam excutit: si lapidem teras, nonne ignis erumpit?* Si quis enim maledictum maledicto, convicium convicio retorqueat, vel quidvis aliud asperum irascenti respondeat; procul dubio ebullienti flammæ ostium aperit, ut incendium erumpat. Quod si cum rixante rixari velis, silicem silice teres et ignem elicies. Præclarum hujus rei exemplum dedit non de plebe, non de senatu unus, sed regia dignitate conspicuus, Alphonsus rex Aragonum. Huic namque: « Capuam cum exercitu transeunti miles quidam ira effervescens in foro ipso obviam factus, comprehensis equi loris, regem sistere coegit, neque prius dimisit, quam quæ libuisset in regem etiam armatum petulanter effudisset. Rex nihil magis animo commotus ire perrexit, conviciatorem ne paululum*

quidem conspicatus, » ita Panorm. in ejus factis, l. 4. Nimirum optime ait S. Chrysost. hom. XLVII. in Joan. « Neque febribus laboranti aut gravi inflammatione quisquam irascitur, sed his morbis affecti, sui misericordiam et lacrymas movent. Hujusmodi est iratus animus, qui si in te respuet tace, et opportunam ei plagam infliges. Si contumeliam contumelia prosequeris, ignem excitabis: » et rursus, homilia XVI. in Matthæum super id: Qui autem dixerit: Fatue, ita scribit: « Sicut manente amicitia, etiam quæ molesta sunt, levia ducuntur; sic, inimicitii obortis levia quæcumque pro gravissimis audiuntur. Nam etsi simpliciter aliqua dicantur, de malo tamen animo prolatae creduntur: atque ut in igne, cum scintilla exigua est, etsi plurimum lignorum admoveas, non ea facile comprehendit; si vero satis in excelsum flamma consurgat, non jam ligna, sed et saxa et omnem prorsus incidentem materiam sibi vindicat, et per quæ extingui solet, per ea ipsa accenditur, etc. Ita accidere etiam in ira solet: quidquid aliquis dixerit, continuo pabulum pessimi hujus efficietur incendii. » Tantum igitur abest, ut magis exacerbetur. Nam, ut ait Sapiens, Proverbiorum XXVII. *Ferum ferro exacuetur, et homo exacuit faciem amici sui*: rursus auctor operis imperfecti, homilia XII. *Iracundia per iracundiam non compescitur*, inquit, *sed irritatur: quemadmodum si ignem cum igne jungas, major flamma succenditur*. Pelicani nido ignem aucupes inficiunt; quo viso advolat, et alarum quassationem ignem conatur restinguere, sed interim magis accendit, et simul comburit alas suas, teste Pierio, l. XX. hierogl. cap. LXI. Pari modo qui iratum volunt compescere objurgatione, correptione, clamore, plerumque irritant magis quam mitigant, adeoque etiam ipse involvuntur eo jurgii incendio, et comburunt se.

II. *Ignem ardentem exinguit aqua*, inquit Ecclesiasticus, cap. III. et nihil homini notius quam aquarum effusione incendia restingui. Silentio quidem, ut diximus, videtur securissime suffocari ignis iracundiæ; proximum tamen ad hoc remedium est, quod tradit Sapiens, Proverbiorum XV. versu 1. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furorem*. Tormentorum jacula molli lana excepta vim suam perdunt: fulmen quoque in re molli evanescit. Cui sententiæ accedit Sanctus Chrysostomus, homilia III. de Davide et Saule, eam sic declarans: « Quemadmodum, inquit, si instes in scintillam ignis, excitas incendium: contra, si spuas, extinguis; et utrumque tibi in manu est, quoniam utrumque ex ore tuo proficiscitur. Idem fit et in inimicitia proximi: si inflatos ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem, accendis

carbones: sin mites ac moderatos admoveas sermones, priusquam exardescat, ignem omnem extinxeris. » Elephantis capti difficile edomantur; si vinculis constringantur, magis feroces fiunt; neque deliniuntur cibariorum illecebris: quum tamen Indi instrumento musico, quod *scinapsium* vocant, vernaculam eis accinnant, tunc aures arrigunt, et sensim mitescunt, cibumque objectum accipiunt, *Ælian.* l. XII. de animal. c. XXI. Quid ferocius erat Saule? Hinc tamen a Davide quem cane pejus oderat, blando sermone edomitus fuit, quando post se clamantem audiit: *Domine mi rex*, 1. Reg. II. § IX. *Levavit enim vocem suam et flevit*, ibid. § XVII. Vide, inquit S. Chrysostomus, loc. cit. *quantum fecerit lucri David hæc locutus; animum sanguinis ac cædis sitientem repente ad lamenta et ejulatus compulit*. Neque solum lacrymas ab hoc silice excussit, sed eo etiam adegit, ut filii nomine ab eo appellaretur: *Numquid*, ait, *vox hæc tua est, fili mi David?* Quin et in tutorem filiorum ejus quasi adlectus est, dicente illo: *Juva mihi, ne deleas semen meum*. Eadem arte placavit Jacob infensum sibi fratrem Esau, Gen. XXXII. cum appellavit dominum suum: *Præcedat dominus servum suum*, § XIV. Ubi Chrysostomus, hom. LVIII. in Gen. « Nihil, inquit, mansuetudine violentius: nam sicut rogum, cum valde accenditur, aqua injecta restinguit, ita et animum camino magis exardescentem, verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. » Quibus accedit Abigail illa, quæ Davidis iram, jam se accingentis ad extinguentem Nabal, blando sermone adeo mitigavit, ut hoc responsum ab eo exprimeret: *Benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem et ulciscerer me manu mea*, 1. Reg. XXV. Sed audiamus hanc artem bene edoctos. Exemplum unum refertur, in prato spirit. cap. penult. in hæc verba: « Narravit nobis abbas Sergius dux monasterii abbatis Constantini, dicens: Cum aliquando iter ageremus cum quodam sancto sene, erravimus de via, et neque scientibus nobis neque volentibus, inter sata inventi sumus, et aliqua de satis volentesque calcavimus. Quod cum vidisset agricola (erat enim illic operans) cepit contra nos injuriosa multa proferre cum iracundia dicens: Vos monachi estis? Vos timetis Deum? Si timorem Dei ante oculos habuissetis, hoc profecto non fecissetis. Tunc ait nobis sanctus senior: Per Dominum, nullus ei respondeat. Conversusque ad illum dixit: Recte locutus es, fili mi. Nam si timorem Dei haberemus, non ita fecissemus. Ille rursus furens, contumeliis impetebat nos. Rursumque dixit senior ad illum: Vera prosequeris, fili; nam si

veri monachi essemus, istud non egissemus. Sed per Dominum indulge nobis, quoniam peccavimus. Stupefactus ergo ille ad tantam senis humilitatem, accessit propius, prostravitque se ad pedes senis, dicens: Peccavi, indulge mihi, et per Dominum assume me vobiscum. Dicebatque beatus Sergius, quia secutus sit illos rusticus, et acceperit habitum. » Sed quid mirum hoc præstare Christianos, quibus lex hæc mansuetudinis a Christo Domino adeo inculcata est? Id potius mirandum, etiam inter gentiles repertos fuisse artis hujus non tam studiosos, quam magistros. Invitarat aliquando ad mensam Socrates Euthydemum, et intervenit Xantippe rixosa, conjux Socratis, consuets suis jurgiis, contentionibus et conviciis, mensamque evertit. Cernens hoc Euthydemus, ira percitus, cum indignatione surgens, abitum parabat. Cui Socrates: *Nonne nuper apud te idem fecit gallina involans in mensam, me nihil indignans?* Sic iram Euthydemis extinxit et in risum convertit, Plut. de cohib. ira. Vere igitur *responsio mollis*, seu ut alii legunt, *jocosa, frangit iram*.

III. Ignis incendii sopitur, si materia et subtrahatur, quæ alit ignem; ut si domus diruatur, etc. Iracundia etiam proximi sedatur, si qui bilem ei movit, vel cui is irascitur ab irato se subducat. Hoc voluisse apostolum, quando ad Rom. XII. scripsit: *Date locum iræ*; sentit D. Ambrosius, l. de Joseph. c. XIII. quasi dicat Paulus: *Declinemus eam, ne nos illa corripiat*, velut ignis videlicet, qui forte succensus in exitiale gliscit incendium, et obviante sibi corripit. S. Basilius etiam in regulis brevior. interrog. CCXLIV. quærit: *Quid est dare locum iræ?* et respondet: *Non resistere malo. Vidit illud: Cum autem persequerentur vos in ista civitate, fugite in aliam*. D. vero Anselmus in eum locum: *Ille dat locum iræ*, inquit: « Qui iram superbientium humiliter fugiendo declinat, non se contra acceptas contumelias erigens, sed de loco pia humilitate recedens. » Eadem doctrina est S. Gregorii III. p. pastor. c. XVII. « Iracundos, inquit, melius corrigimus, si in ipsa iræ commotione declinamus. Perturbati enim quid audiant, ignorant. Sed cum ad se redeunt, tanto libentius exhortationis verba recipiant, quanto se tranquillius tolerari erubescunt. » Rursus S. Ambrosius, l. 1. offic. c. V. « Hæc sunt arma justis, ait, ut cedendo vincat, sicut periti jaculandi cedentes solent vincere, et fugientes gravioribus sequentem vulnerare ictibus. » Sic vicit Jacob fratrem suum Esau, sic vicit David Saulem, sic Christus Judæos ipsum lapidare volentes. Tanto furioso, equo ferocienti, cum discunt per plateas, cedimus, et nequaquam

inde erubescimus: occur igitur pudor fit fugere iracundo, cum ab illis brutis nihil differat? Non fuit dedecus Josepho fugere ab hera castitatis insidiatrice, sed magna potius gloria. Pari ratione et gloria fugimus iracundos. Unde auctor op. imperf. hom. XII. ait: « Sicut Joseph dimisit pallium in manu meretricis: ita et tu projice pallium in manus calumniatoris, et fuge cum meliore velamento justitiæ; ne forte, dum vis vindicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdas. »

Intellexerunt etiam hoc nonnulli gentiles, quorum erat hoc celebre adagium: *Ignem gladio ne fodito*, h. e. ne iratum concites, nec materiam ei subministres, qua magis irascatur. Et illud quod clamasse carbonarium quemdam, cum ignem fornacis igni adjecisset, indeque accensus conflagraret, refert Diogenianus. Plutarchus quoque, l. de cohib. ira. « Ira, inquit, his vehementius incitatur, quæ faciunt aut dicunt irati; proinde quiescere optimum est, aut effugere, aut occultari, et sese ad silentium velut in portum recipere sicut solent qui epilepsiam oborientem senserunt. » Quod si tamen aliquis omnino sibi persuaserit turpem esse hanc fugam, revera laudatissimam, permittam ei ut irato sese opponat; sed qua ratione? Qua S. Guido abbas Pomposianus occurrit Heriberto, Ravenatum summo antistiti, iras coquenti, nescio qua de causa, in ejus monasterium, manu armata destruendum. Quod cum ad aures sanctissimi viri perlatum esset, triduanum omnibus jejunium indixit, positisque laneis vestibus, cilicinis omnes indui voluit; hortatusque est suos, ut precibus et lacrymis pugnarent, nec dubitarent, quin iis facilius armis quam gladio et clypeo de inimicis victoriam obtinerent. Quod sane pulchre consecutum est. Nam cum illi, toto triduo humi cubantes in cinere et cilicio, assiduo Domini misericordiam implorarent, et archiepiscopus præcipiti mente, ad tyrannidem exercendam veniret, statim obviam ei cum timore processerunt, atque in Ecclesiam summo cum honore illum perduxerunt, cum ille repente animo ita commutatus est, ut, profusa ingenti lacrymarum vi, scelus suum destestaretur, fratresque perpetuo sibi amicitia fœdere ita copularet, ut nullæ deinceps inimicitia illud violaverint, ita Lipelous, 31. martii, in vita S. Guidonis. Qua ratione? Qua Petrus abbas Cavensis occurrit Rogerio castri S. Severini domino, qui et ipse cœnobium ejus varie affligens, agrum unum erepturus, cum armis advenerat. Verum: « Petrus, in occursum ejus ad agrum tuendum egressus, fratres secum duxit, cum quibus psallere instanter cepit. Ille etiam minas suas pravitate vincere gestiens, cum armatorum

manu in locum venit, cogitans quia is, qui minas suas seminando contemneret, ad eundem agrum sine armatorum praesidio non venisset. Sed cum propius accederet, contra se non mucrones ensium, sed missile orationum vidit. Tunc illud saxum pectus a feritate sua duritiae emollitum est; sola enim religionis contemplatione superatus, arma projecit, de caballo descendit atque ad sancti viri vestigia projectus, suae temeritatis veniam postulavit. » Ita habet ejus vita apud Sur. 4. martii. Qua ratione? Quam similis alius abbas occurrit alteri cuidam hosti sui monasterii, de quo haec scribit B. Petrus Damiani, in epist. ad Oldericum episcopum, l. IV. epist. ep. IX. « In Galliarum finibus audivi, inquit, gestum fuisse, quod refero. Inter abbatem et quemdam saeculi praepotentem orta est non levis de possessione contentio. Cumque a partis utriusque fautoribus nimis diu certaretur et jurgiis, tandem, ut armis ageretur, utrinque condictum est. Et saecularis quidem, paratis militum copiis, campum praeliaturus ingreditur, acies struit, cuneos ordinat, atque ad fortiter agendum omnium mentes acerrimus cohortator

inflammat. Silvescunt omnia gladiis, rubens clypei, vociferantium clamor attollitur, minaces armatorum fremitus inhorrescunt, tela stringuntur, et solus adversae partis impetus ad congregandum accensis manibus expectatur. Abbas autem, non in armis terrenis spem suam, sed humanae salutis auctore consuens, cunctis, qui pro se dimicare convenerunt, solum prohibuit comitatum; solos autem monachos suos equis imposuit, capita cucullis operiri praecipit, sicut cum illis, velut galeatis et et loriceis fidei monumento crucisque vexillo, ad locum certaminis venit. Cumque vir ille non ferrea, ut sperabat, arma conspiceret, sed tamquam caelestem atque angelicam aciem adventare cominus advertisset, tantus eum cum suis omnibus divini timoris horror invasit, ut desiliens de equis, protinus arma projicerent, terrae se humiliter sternerent, indulgentiam flagitarent. Sic, sic nimirum titulos victoriae triumphalis obtinuit, qui non in frementibus equis, non in micantibus gladiis spem posuit, sed ex divinae tantum potentiae virtute praesumpsit. »

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM. MARC. VIII.

In illo tempore cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant; et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via. Quidam enim ex his de longe venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis posterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et praecipit turbae discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit et jussit apponi. Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas. Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor millia, et dimisit eos.

CONCIONES.

- I. Gula et luxus reprehenditur, temperantia et sobrietas commendatur.
- II. Quinque excessus gulae.
- III. De damnis ebrietatis.
- IV. Cur Germani ad ebrietatem procliviores sint, causa.
- V. Mundi amatores nunquam satiari ostenditur.
- VI. Pauperes instruuntur.
- VII. Quam convenienter instituta sint septem sacramenta.
- VIII. Qua ratione paranda et acquirenda sint virtutes morales in voluntate sitae.

- IX. Documenta.
- X. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quamobrem Christus miraculo multiplicavit panes.
- II. Vulgus, seu turba hominum commiseratione digna.
- III. Penitentia, quae in mortis articulo fit, suspecta.
- IV. Quomodo verbum Dei audiendum.
- V. Septem media ad proficiendum.

CONCIO I.

GULA ET LUXUS REPREHENDITUR, TEMPERANTIA ET SOBRIETAS COMMENDATUR.

- I. Abstinencia: 1. Animam servat. 2. Acuit intellectum. 3. Vitam prolongat. 4. Opes conservat. 5. Magni apud Deum est meriti. — II. Gula: 1. Animam prodit. 2. Mentem hebetat. 3. Morbos gignit. 4. Paupertatem affert. 5. Multas post se culpas trahit. 6. Gulae punita mala.

THEMA.

Manducaverunt et saturati sunt. Marc. VIII.

Duas in paradiso arbores peculiari nota insignivit Deus, arborem vitae, et arborem scientiae boni et mali: illa gustanti vitam; haec vero

afferebat mortem: illam hominibus concessit; hanc autem vetuit Deus. Verum serpens ille dolosus suasit arborem mortis, et vero eam persuasit. In hoc etiam mundi exilio duas reperimus arbores, praedictis non absimiles, temperantiam et gulam; quarum illa vitam; haec dat mortem: illa nobis suadetur; ista prohibetur: ad hanc vocat nos diabolus, caro et mundus; ad illam vocat nos Deus et hodiernum evangelium: in quo audimus quam fragali convivio contenti et saturi fuerint sectatores Christi. Nam primo, panem et pisces tantum legimus appositos; deinde, non omnia, quae opposita fuere convivae abligurisse, quemadmodum facere solent lurcones et helluones; denique, convivium hoc siccum prorsus fuisse, nullo instructum